

ANNUS XXI.

IDIBUS MARTII 1937.

NUMERUS 7.



LATIN IEJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel: 1-422-15).

Moderator, ad quem manuscripta mittantur: I. WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 2-686-34).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1936—37. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus aerarii comparisorum postalis in Hungaria: 57.292, in Austria: A—37.880. Subnotatores eorum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis deceit in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Thermopolium (coffei de) «Pillwax» (nominatum).



Iuvenes Martii in hoc thermopolium convenientes a. 1848. praeparaverunt initium Hungariae renovandae: Idus Martias, quo die postquam Alexander Petőfi carmen suum «Surge Hungare!» recitavit, multitudo summo omnium consensu poposcit iura libertatis, quae «camarilla» regis post bella Napoleontis iniuste populo ademit. Pictura incerti pictoris in pinacotheca urbis Budapestini custoditur.

Per.  
Lat  
020



## De viva lingua Latina. II.

Otto Schmied Vindobonensis.

Ut saepe bonum nisi amissum non perspicitur, linguam internationalem deesse aegre ferebatur, simulac lingua Latina pro universali desit usurpari. Neque tamen, quod consentaneum<sup>1</sup> erat, ad Latinum redierunt, sed omnibus modis *linguae artificiosae* fingi coepitae sunt. Linguae fingendae iam saeculo XVII Cartesius et postea Leibnitius operam<sup>2</sup> navaverant<sup>3</sup>; cum<sup>3</sup> autem hi philosophi talem linguam funditus proprie compositori essent, posteriores e linguis viventibus — difficultatibus tollendis et aequalitate restituendā — linguas auxiliares, quae faciliores essent memoriae mandatu, erant creaturi et creabant. Primus Schleyer parochus<sup>4</sup> Badensis linguā auxiliari, quam «Volapük» nominavit, a. 1879 prosperus fuit, sed octo post annis eum Zamenhof medicus Varsoviensis superavit, cuius lingua inventa, quae «Esperanto» dicitur, hucusque viget. Tamen etiam hodie quaeritur, quae lingua pro universali usurpetur; nam inter amicos quoque linguae artificiosae etiam atque etiam novae inveniuntur velut «Ido» a. 1907 et aetate nostrā cum lingua «Esperanto» dicta de principatu certant hae linguae artificiosae: «Interlingua (vel Latino sine flexione), Occidental, Noyal, Basic English, Internasional, Sona». Quam obrem lingua quoque Latina nondum certamine exclusa est et, cum a. 1922 Genavae intra gentium societatem, quā linguā pro universalī utendum esset, disputaretur, praeter linguas nationum potentissimarum et linguam Esperandam etiam de lingua Latina cogitatum est; qua in re Latinum repudiatum est, quia difficilis esset neque huic aetati sufficeret, sed etiam lingua Esperanda reiecta est et necessario linguae solae Anglica et Francogallica officiales<sup>5</sup> agnita sunt, quod vix cuiquam nisi Anglis vel Francogallis gaudio fuit.

Quodsi<sup>6</sup> a. 1932 Monachii<sup>7</sup> «Societas Latina» exstitit, ut linguam Latinam usui internationali commendaret, cum linguā universalī opus esset neque ulla lingua huic rei aptius conveniret, sententia in Germaniam penetravit, quae iam multo prius in aliis terris nata imprimis ex bello mundano propagata erat. Velut exempli causa a. 1912 medici Francogallici societatem medicorum civitatum Latinarum Europae merianaeque Americae inierunt, quae per ephemeridem «Umfia» vocatam suadet, ut in medicina lingua Latina vulgo usurpetur. Et iam antiquitus *Sedes Apostolica* linguae Latinae favit favebatque: hac linguā in academiis ecclesiasticis Romanis praelegitur, Latina est sermo Encycliarum et orationum urbi et orbi radiophonice habitarum. Cum a. 1934 Vaticano auctore<sup>8</sup> iuris peritissimi totius mundi Romam congressi

essent, plerique oratores Latine locuti sunt et in sollemini conventu ultimo nulla nisi Latina verba audires et ad Patrem Sanctissimum inter alia hoc delatum est: «Ut diffundatur et augeatur studium Latini sermonis, quo historica legum monumenta his diebus paeclare celebrata conscripta sunt quique tam utilis aestimatur ad relationes scientificas internationales communicandas!» In Urbe Vaticanā et complures ecclesiasticae ephemerides Latinae prodeunt membra Ecclesiae catholicae totius orbis terrarum quasi vinculis circumcludentes et una profana «Alma Roma» inscripta, quae sincerissimo Latino usa et soluto<sup>9</sup> sermone et astricto<sup>10</sup> linguae Latinae inservit atque in appendice «sapientum pervestigationes<sup>11</sup> a radiophonica Vaticana statione latine vulgatas» prodere solet. Latinitatem nuper etiam profana Roma valde fovet: a. 1933 senatus<sup>12</sup> permagni glossarii<sup>13</sup> Latini ad usum horum temporum componendi dictus est, quem illo in labore XL instituta scientiae destinata adiuvant; pae-terea res publica quotannis optimae orationi Latinae et dissertationi praemia tribuit. Quant nunc in Italia Latinum aestimetur, vel ex eo appareat, quod nuperrime orationes ducis Musolini Latine versae prodierunt.

Neque mirandum est linguam Latinam in Hungaria, ubi tamdiu publica erat, imprimis coli. Ibi ex a. 1910 ephemeris in usum iuventutis studiosae, cui nomen «Iuvetus» est, exsistit, quae etiam in Austria haud ignota est neque satis magistris discipulisque commendari potest. Cuius moderator Iosephus Wagner Latinitati studens: non solum «carmina Horatii selecta ad modos<sup>14</sup> aptata<sup>14</sup>» et his ipsis diebus «dictionarium<sup>13</sup> rerum recentissimarum Hungarico-Latinum» circiter octo milia vocabulorum continens edidit, etiam frequentissimo commercio<sup>15</sup> epistularum<sup>15</sup> amicos Latinitatis colligens et sodalitatem Latine loquentium constituturus nihil praetermittit, quin linguam mortuam dictam expergeficiat. Similis ephemeris «Palaestra Latina» inscripta in Hispania prodibat, donec eius auctor moderatorque miserrimus P. Emmanuel Iové a bolcevistis crudelissime necatus est (cf. «Iuv.» in pag. 83!). Inter ephemerides Latinas, quae in America septentrionali existunt, elucet illa, quae «Auxilium Romanum» inscripta bis singulis

<sup>1</sup> természetes lett volna = natürlich gewesen wäre = il aurait été naturel    <sup>2</sup> fáradozni vmiivel = sich bemühen = s'efforcer de    <sup>3</sup> míg = während = pendant que    <sup>4</sup> plébános = Pfarrer = curé    <sup>5</sup> hivatalos = amtlich = officiel    <sup>6</sup> ha tehát = wenn also = si donc    <sup>7</sup> München = Munich    <sup>8</sup> indítvány = Vorschlag = proposition    <sup>9</sup> prózai = prosaisch = en prose    <sup>10</sup> kötött = gebunden = en vers    <sup>11</sup> kutatás = Forschung = recherche    <sup>12</sup> bizottság = Ausschuss, Komitee = comité    <sup>13</sup> szótár = Wörterbuch = dictionnaire    <sup>14</sup> megzenésíteni = vertonen = mettre en musique    <sup>15</sup> levelezés = Briefwechsel = correspondance

mensibus Neo-Eboraci publicatur et imprimis in res recentissimas incumbit.

Quae cum ita sint, quis miretur, quod «Societas Latina» Monachii condita non solum in Germania, sed etiam ultra fines velut in Austria, Hungaria, Sudetia, Polonia ab amicis linguae Latinae valde probata est? Paulo post etiam Varsoviae «Societas linguae Latinæ usui internationali adaptandæ» constituta est. Neque modo e diversis terris, sed etiam e diversissimis muneribus<sup>16</sup> officiisque fautores Latinitatis confluxerunt, in quibus sacerdotes et medici præevaluerunt.

(Finis sequetur.)

<sup>16</sup>foglalkozás = Beschäftigung = profession



Alexander Sergeievitius Pusquinus, maximus Russiae poëta et scriptor rerum, qui ante hos 100 annos mortuus est, ubique gentium hisce diebus celebrabatur. Praeter cetera opera præcipue fabula<sup>1</sup> Romanensis<sup>1</sup> in versibus scripta, quae inscribitur «Anyeginus» et drama «Boris Godunovius» nomen poëtae urbi et orbi notum reddiderunt. Imago nostra poëtam in certamine<sup>2</sup> singulari<sup>2</sup> plumbo<sup>3</sup> adversarii ictum et mox morientem ad oculos demonstrat (pinxit Tsitsagov).

Baden Powell summus exploratorum<sup>4</sup> præfектus, cum nuper 80. annum aetatis expleret, non solum gratulationes ex omnibus mundi partibus cumulatim<sup>5</sup> accepit, sed etiam doctor honoris causā a professoribus universitatis Oxfordiensis creatus est. In imagine Bi-Pi omnibus carissimus insignibus doctoris ornatus incedit (ab laevā).

Urbs Vindobona illustrissimos hospites habuit. Iuliana regina futura Bataviae maritusque Bernhardus princeps Hungariā relictā aliquot dies Vindobonae commorabantur quasi fascinantes<sup>6</sup> liberalitate etiam Austriacorum animos. Deinde minister rerum externarum Germaniae vir e nobilibus Neurath ad fratres Germanorum advenit, ut de rebus communibus cum Austriacis dissereret. Cum post Curtium

per sex annos nemo ministrorum Germaniae in Austriamisset, hospitis praesentia demonstravit concordiam inter duos populos dissensione sublatā<sup>7</sup> redintegratam esse.

Maria Josepha principissa e domo regia Belgica, uxor Humberti heredis regni Italiae filium peperit, qui de avo Victor Emanuel nominatus continuitatem familiae regiae Sabaudensis<sup>8</sup> perficit. Rem laetissimam populo 101 globi<sup>9</sup> tormentis<sup>9</sup> missi<sup>9</sup> nuntiaverunt.

In Hispania bellum civile nondum finitum est. Populus iam non solum armis, sed etiam inopiā frumenti urgetur. Viri<sup>10</sup> intercessioni<sup>10</sup> prohibendae<sup>10</sup> delecti<sup>10</sup> fines portusque Hispaniae custodiri volunt, ne quae bello usui sunt, pugnantibus importentur.

In Abyssinia Gratianus prorex<sup>11</sup> pyrobolo<sup>12</sup> appetitus<sup>12</sup> et graviter vulneratus de genero Haelae Selassiae negi, de Raso Destā, cum is arma deponere nolens in pugna captus esset, supplicium<sup>13</sup> sumi<sup>13</sup> iussit.<sup>13</sup> Quae cum ita sint, nemo iam Italies resistere audebit.

Hitlerius dux declaravit neutralitatem Helvetiae et Belgiae Bataviaeque a Germanis semper observatum iri. Cechoslovaciae men-



<sup>1</sup> regény = Roman = roman    <sup>2</sup> párbaj = Duell = duel    <sup>3</sup> golyó = Kugel = balle (de fusil)    <sup>4</sup> cserkész = Pfadfinder = éclaireur, boy-scout    <sup>5</sup> halomszámra = haufenweise = en masse    <sup>6</sup> elbúvölni = bezaubern = enchant    <sup>7</sup> megszűnés = Aufhören = cessation    <sup>8</sup> savoyai = von Savoya = de Savoie    <sup>9</sup> ágyúlövés = Kanonen-schuss = coup de canon    <sup>10</sup> benemavatkozási bizottság = Nichteimischungskommission = comité de non-ingérence    <sup>11</sup> alkirály = Vizekönig = vice-roi    <sup>12</sup> bombamerényletet követtek el ellene = ein Bombenattentat wurde verübt gegen = un attentat par bombe a été fait contre    <sup>13</sup> ki-végeztetni = hinrichten lassen = faire supplicier

tionem non fecit, haud dubie quia in hac re-publica plus 3 millones Germanorum sunt.

**In Rumania** nuper incolae in oppido Jassy ambulantes aurem rectoris universitatis oppidi, nomine Traiani Bratu a sodalibus cohortis<sup>14</sup>



Bi-Pi doctor h. c. (pag. 99.)

ferreae<sup>14</sup> desectam invenerunt. Quia rector — antea praeses senatus Bucarestensis — paene occisus ab istis sicariis est, nunc iam etiam Tatarescu primus ministrorum vindicandum<sup>15</sup> esse in cohortem ferream putat.

**In America** amnes extra ripas diffluentes iam redire in alvum incipiunt. In ripis ubique ruinae et cadavera iacent. In oppido Ludovici Villa (Louisville) in civitate Kentuckyana domus subversa inventa est, cuius pars ima coelum spectat, tectum autem infra est, ut in imagine cernitur. Quidam inventor, Georgius Claude foveis<sup>16</sup> 50—150 metra altis aquam inundantem deduci posse putat, quarum sump-tus non maior sit, quam 400 millions doll., contra aggeres, qui nunc sunt, 2700 millions consumentes tamen aquis tumescientibus<sup>17</sup> resistere non possunt.

**Calamitates.** In oppido maritimo Coreano Antun in cinemate<sup>18</sup> propter incendium tantus terror caecus (vulgo : panicus) invasit spectatores, ut in tumultu 800 homines compressi vel combusti<sup>19</sup> perirent. — Navis vaporea Graeca, nomine Lucianus, inter fines Galliae et Cata-laniae cuniculo<sup>20</sup> marino natanti collisa dis-plosione in duas partes scissa et statim submersa est. Nautae duobus exceptis 22 omnes

perierunt. — In circo Buschio Vindobonae spectaculum<sup>21</sup> pueris<sup>21</sup> puellisque<sup>21</sup> parabatur. In magnis cistis pastilli<sup>22</sup> bacchanales<sup>22</sup> ad 3 milia cumulati erant, quorum elephantus circi odore allactus<sup>23</sup> brevi dimidium devoravit. Nunc iudices certant, utrum dulciarius,<sup>24</sup> aut Buschius damnum restituere debeat.

<sup>14</sup> gárda = Garde = garde    <sup>15</sup> megtorolni = ahnden = châtier    <sup>16</sup> gödör = Grube = fosse    <sup>17</sup> megáradó = anschwellen = s'accroître    <sup>18</sup> mozi = Kino = cinéma    <sup>19</sup> elégni = verbrennen = brûler    <sup>20</sup> akna = Mine = mine    <sup>21</sup> gyermekelőadás = Kindervorstellung = représentation d'enfants    <sup>22</sup> farsangi fánk = Faschingskrapfen = beignet de carnaval    <sup>23</sup> oda-salni = hinlocken = attirer    <sup>24</sup> cukrász = Zuckerbäcker = confiseur

### Curiosa Americana.

In certamine de primatu<sup>1</sup> mundano<sup>1</sup> animae<sup>1</sup> continenda<sup>1</sup> Dick O'Flaherty iuvenis 28 anno-rum animam 2 minuta 12 secunda continens cardioplegiā<sup>2</sup> mortuus est. — In certamine equorum in urbe Sancto Francisco edito canis<sup>3</sup> lupinus,<sup>3</sup> qui extra certamen particeps cursus erat, vicit factus est. — In urbe Baltimore sectae religiosae 106 diversae inveniuntur. — De dimidio civium urbis Neo-Eboraci<sup>4</sup> ignoratur, cuius religionis sectatores<sup>5</sup> sint. — So-cietas in oppido Lake City inimicitias avitas<sup>6</sup> canum feliumque coëducatione animalium par-vulorum tollere studet.

Est «societas tolerantium»<sup>7</sup> in oppido Creede (Colorado), cuius sodales pugnaturi contra ryth-mum rapidum saeculi nostri quotannis Kalen-dis Octobribus convenientes cibum<sup>8</sup> meridianum<sup>8</sup> vesperi horā nonā edunt. Inter fer-cula<sup>9</sup> singula intervallum triginta minutorum datur. Culmen<sup>10</sup> vesperi certamen limacum<sup>11</sup> est, cuius de ēventu pignora<sup>12</sup> magna<sup>12</sup> ponuntur.<sup>12</sup> Victrix fit limax tardissima. Quinque fere vel sex horis continenter certatur.<sup>13</sup> — Lex

<sup>1</sup> A lélekzés visszatartásának világbajnokságáért = um die Weltmeisterschaft im Luftanhalten = pour le championnat mondial de la rétention du souffle    <sup>2</sup> szívszélhűdés = Herzsclag (anfall) = apoplexie    <sup>3</sup> farkaskutya = Wolfs-hund = chien-loup    <sup>4</sup> New-York    <sup>5</sup> hivei = Anhänger = fidèles    <sup>6</sup> ősregi = uralt = héréditaire    <sup>7</sup> türelmes = ge-duldig = patient    <sup>8</sup> ebéd = Mittagsmahl = dîner    <sup>9</sup> fogás = Gang = mets    <sup>10</sup> fénypon = Gipelpunkt = clou    <sup>11</sup> csiga = Schnecke = limaçon    <sup>12</sup> nagy fogadásokat kötnek = hohe Wetten werden abgeschlossen = on fait de grands paris    = <sup>13</sup> szünet nélkül folyik a küzdelem = ununter-brochen dauert der Kampf = la lutte dure... sans re-lâche

etiam hodie Tuscarorae (Novada) valet, quae mulieres et puellas prohibet, nē diē Iovis<sup>14</sup> ante meridiem X—XII. horis in thermopolium<sup>15</sup> eant. — In urbe Sancto Francisco lex valet, quae venationem leporum e plateā<sup>16</sup> tramviae<sup>17</sup> punit. — Actrix<sup>18</sup> pelicularis<sup>18</sup> Graco Lowning quamquam persona<sup>19</sup> muta parva fuerat, tamen effecit, ut oculos omnium ad se converteret, cum in via «Hollywood-Boulevard» semper a Nigrita<sup>20</sup> parvo, Sinensi<sup>21</sup> sene, vertrago<sup>22</sup> Russico, crocodilo parvulo comitata conspiciebatur. Crocodilus a Sinensi, canis a domina regebatur, a Nigrita autem umbella<sup>23</sup> iugens rubra gerebatur. Una ex officinis<sup>24</sup> magnis pelicularibus<sup>24</sup> ingenium<sup>25</sup> puellae ad admirationem<sup>26</sup> movendam<sup>26</sup> aptissimum aestimavit partesque<sup>27</sup> illi dedit, quas illa magno cum successu egit.

Tensor<sup>28</sup> quidam brevi dives factus ita. Iam pridem eis, quos tondebat, hamiotis<sup>29</sup> lumbrios<sup>30</sup> vendere solebat et cum in dies numerus hamo<sup>31</sup> piscantium<sup>31</sup> augeretur, Neo-Eboraci automataria collocavit, unde si quis nummulum vicies<sup>32</sup> centenonaliem<sup>32</sup> inicit, saccum 5 pulchros lumbrios continentem recipit. Automataria diebus dominicis<sup>33</sup> iam mane vacuefacta esse dicuntur, quamquam milia puerorum tonsori assidue lumbrios innumerabiles comportant.

Dion. Kövendi (Kúnszentmiklós).

<sup>14</sup> csütörtök = Donnerstag = jeudi    <sup>15</sup> kávéház = Kaffeehaus = café    <sup>16</sup> perron = plattform = plate-forme    <sup>17</sup> közúti-kocsi = Strassenbahnwagen = tramway    <sup>18</sup> filmszinész = Filmschauspielerin = artiste de cinéma    <sup>19</sup> statiszta = Statistin = figurante    <sup>20</sup> néger = Neger = nègre    <sup>21</sup> kinai = Chinese = chinois    <sup>22</sup> agár = Windhund = lévrier    <sup>23</sup> napernyő = Sonnenschirm = ombrelle    <sup>24</sup> filmgyár = Filmfabrik = maison productrice    <sup>25</sup> tehetség = Begabung = talent    <sup>26</sup> közfeltünést kelteni = Aufsehen erregen = faire éclat    <sup>27</sup> szerep = Rolle = rôle    <sup>28</sup> borbély = Barbier = barbier    <sup>29</sup> horgászó = Angler = pêcheur à la ligne    <sup>30</sup> kukac = Regenwurm = lombric    <sup>31</sup> horgászni = angeln = pêcher à l'hameçon    <sup>32</sup> 20 cent    <sup>33</sup> vasárnap = Sonntag = dimanche

Al. Regényi Budapest, VII., Barcsay-utca 5. lectoribus nostris 2 pengoe praesolventibus librum recta via transmittit.)

1. Pisces iusculo incoeti.
2. Bubula capsicata.
3. Pullus capsicatus.
4. Succidia percocta.
5. Vitulina capsicata.
6. Brassica isiciata.
7. Quadrae pernā condītae.
8. Artolaganus ex residuis lardi (liquati coctus).
9. Tyropatina.
10. Placenta caseata seu tyro condita.
11. Quadrae tyro condītae.
12. Globuli prunacei.
13. Puls ex castaneis facta cum flore lactis (rudiculā) peragitato.
14. Caseus Liptoviensis conditus).

<sup>1</sup> halászlé = Fischsuppe = bouillabaisse    <sup>2</sup> gulyás = Gulasch (Rindfleischstücke in Paprikatunke gedünstet) = goulache (ragoût, de boeuf à la hongroise)    <sup>3</sup> paprikáscsirke = Paprikahuhn = ragoût de poulet à la hongroise    <sup>4</sup> abált szalonna = abgekochter Speck = lard cuit    <sup>5</sup> borjúpörkölt = Kalbsgulasch = ragoût de veau à la hongroise    <sup>6</sup> töltött káposzta = gefülltes Kraut = choux farcis    <sup>7</sup> sonkás kocka = Schinkenfleckerl = nouilles au jambon    <sup>8</sup> töröptyűs pogácsa = Grammelpogatsche (kleiner Eierkuchen mit



Domus inundatione subversa (pag. 100.).

Fettgrieben) = souace au creton de graisse    <sup>9</sup> türöslepény = Topfenkuchen = chausson au fromage blanc    <sup>10</sup> türösrétes = Topfenstrudel (Mehlspeise aus gerolltem Teig) = mille-feuille au fromage blanc    <sup>11</sup> türöscsusza = Topfenfleckerl = nouilles au fromage blanc    <sup>12</sup> szilvágombóc = Zwetschkenknödel = boulettes aux prunes    <sup>13</sup> gesztenyepüré tejszínhabbal = Kastanienpüree mit Schlagsahne = purée de marrons à la crème fouettée    <sup>14</sup> körözött liptói = garnierter Liptauer (Käse) = espèce de fromage blanc épice

## Cibi ad gustum Hungaricum.


(Ex dictionario rerum modernarum ab Iosepho Wagner nuper edito. Pretium dictionarii 8000 vocabulorum continentis in tabernis libriis est 2.40 pengoe, administrator autem



## Roma quarta. IV.

Ex script. A. Berzeviczy; libere conv. Aem. Láng.

Proxime<sup>54</sup> Forum Traianum sub turri<sup>55</sup> Nerone<sup>55</sup> alterum forum lapidibus marmoreis stratum<sup>56</sup> repertum est, quod mercatoria<sup>57</sup> porticu<sup>57</sup> semicirculata<sup>58</sup> probabiliter<sup>59</sup> iussu



Scalae Capitolii.

Traiani aedificata circumdatur. Porticus unius<sup>60</sup> tabulati<sup>60</sup> novam ac recentem formam declivi illi parte Romae praebet, qua Via Nationalis (Via Nazionale) ad collem Quirinalem erigitur.

Per latos gradus scalarum itur ad Capitolum, cuius area quadrata tribus palatiis,<sup>61</sup> quarum formas<sup>62</sup> Buonarottius vulgo Michael Angelo, celeberrimus ille architecto,<sup>63</sup> pictor atque sculptor descripserset, <sup>62</sup> circumdata est, inque medio statua equestris M. Aurelii ex aere quondam abunde inaurato conspicitur. Quam aream Mussolini cum suis palatiis intacta reliquit. Collis autem pone palatium Conservatorum, in quo olim templum Iovi Optimo Maximo sacrum stabat, totus immutatus est. Sescentis<sup>64</sup> aedibus<sup>64</sup> demolitis Museum Mussolinianum aedificatum est et totus collis caemento<sup>65</sup> substructo<sup>65</sup> vicis subiectis diremptus<sup>66</sup> in amoenum hortum trans-

formabatur, cuius suavis impressio<sup>67</sup> tantum recordatione<sup>68</sup> saxi Tarpeii nunc iam aperti<sup>69</sup> turbatur. Ubi a Capitolio ad Ostia Via ad mare (Via del mare) initium capit, columnae theatri Marcelli, iuvenis nobilissimi ab Augusto adoptati et praematura morte erepti apertae<sup>69</sup> conspiciuntur. Parva aedes Fortunae virilis a Servio Tullio in ripa Tiberis posita ab additamentis<sup>70</sup> posteriorum saeculorum pariter liberata est.

In area Petrae (Piazza di Piétra) columnae formā Corinthiā pulcherrimae ac scite<sup>71</sup> striatae<sup>71</sup> templi Neptuniani amplexu aedificiorum exsolvebantur<sup>72</sup> et nunc decori sunt parti<sup>73</sup> urbis<sup>73</sup> commeatu maxime<sup>74</sup> celebri.<sup>74</sup> Cellam<sup>75</sup> sepulchram<sup>75</sup> Augusti saepius superaedificatam aperire<sup>76</sup> novissime successit<sup>77</sup> cum etiam elogiā<sup>78</sup> sepulchrorum<sup>78</sup> imperatoris eiusque cognitorum reperta sunt.

Faciem Romae Via Imperii (Via dell'Impero) restituta maxime immutavit, quae nunc cum Amphitheatro Flavii i. e.<sup>79</sup> Colosseo limite recto aream Venetiae (Piazza Venezia), sedem Ducis et monumentum Victoris Emanuelis, quod nunc etiam monumentum Belli ac Victoriae factum est, coniungit et cui sepulchrum Militis Ignoti antepositum est. Cuius viae initium aedificiis demolitis angu-

<sup>54</sup> szomszédságában = zunächst dem... (acc.) = à proximité de <sup>55</sup> Nero-torony = Nero-Thurm = la tour Nérón <sup>56</sup> kikövezett = gepflastert = pavé <sup>57</sup> vásárcsarnok = Markthalle = halle <sup>58</sup> félkörälakú = halbkreisförmig = demi-circulaire <sup>59</sup> valószínűleg = wahrscheinlich = probablement <sup>60</sup> egymeteles = einstöckig = à un étage <sup>61</sup> Palatia Senatus et Conservatorum (deorum) museumque Capitolinum <sup>62</sup> tervez = entwerfen = projeter <sup>63</sup> építész = Baukünstler = architecte <sup>64</sup> egy sereg ház = eine Menge von Häusern = un grand nombre de maisons <sup>65</sup> aláfalazással = durch einen Unterbau = par l'établissement d'un fondement de maçonnerie <sup>66</sup> elválaszt = trennen = séparer <sup>67</sup> benyomás = Eindruck = impression <sup>68</sup> emlékezés vmiře (gen.) = Erinnerung an etw. = rappel de qch <sup>69</sup> látható = sichtbar = visible <sup>70</sup> toldalék = Zutat = annexe <sup>71</sup> finoman barázadt = fein kanneliert = finement cannelé <sup>72</sup> megszabadít = befreien = débarrasser <sup>73</sup> városrész = Stadtteil = quartier <sup>74</sup> nagyon látogatott = vielbesucht = très fréquenté <sup>75</sup> sirkamra = Grabkammer = chambre sépulcrale <sup>76</sup> hozzáférhetővé tesz = zugänglich machen = rendre accessible <sup>77</sup> sikérül = gelingen = réussir <sup>78</sup> sírfelirat = Grabinschrift = épitaphe <sup>79</sup> id est = azaz = das ist = c'est-à-dire



lum<sup>80</sup> facit, qui in hortum transformatus est, ubi pineae<sup>81</sup> pulcherrimae ex viridi<sup>82</sup> nigricantes<sup>82</sup> in magnam altitudinem se promittunt, quae mense Octobri transpositae<sup>83</sup> bene proveniebant: <sup>84</sup> Romae etiam ipsae arbores Mussolinio parere videntur. Ab area Venetiae ad Colosseum abeuntibus hortumque praetereuntibus sinistra parte Forum Traianum cum adiacenti porticu mercatoria, dextra manu Moles Victoris Emanuelis et pone illa Capitolium apparet. Deinceps a dextra<sup>85</sup> Forum Romanum patet simillimum horto, cui ruinae notissimae tantum decori sunt. Trans Forum cernas Palatium et in extremitate colle Arcum Titi. Via post basilicam<sup>86</sup> Constantini discurrat<sup>87</sup> et per vestigia colossi<sup>88</sup> Neronis eiusque *domus aureae* — quae monumenta interierunt — haud longe ab arcu Constantini ad Colosseum fert. Viae igitur novae maximi<sup>89</sup> momenti<sup>89</sup> sunt, quod comprehensivum<sup>90</sup> conspectum ruinarum antiquae Romae praebant.

Mussolini extremam manum operi imposuit, cum Aethiopiā subactā imperium<sup>91</sup> Romanum resuscitavit.

Nova Italia fascistarum suam Romam — Romam quartam — cum antiqua, intervallo bismillenario quasi sublatto, arce coniunxit. Omnis memoria nominis<sup>92</sup> Romae<sup>92</sup> in anulum<sup>93</sup> coalescere<sup>94</sup> videtur, in anulum, qui nec initium, nec finem habet, est enim aeternus. (*Finis.*)

<sup>80</sup> szöglet = Winkel = angle    <sup>81</sup> pinéa (fenyő) = Pinée = espèce de pin    <sup>82</sup> sötétzöld = dunkelgrün = vert foncé    <sup>83</sup> átültet = umflanzen = transplanter    <sup>84</sup> fej-lödik, tenyész = gedeihen = pousser, végéter    <sup>85</sup> jobb felől = rechts = du côté droit    <sup>86</sup> Basilicae fuerunt aedes publicae porticibus amplis circumdatae, quae multae in foris Urbis diversis temporibus exstructae nominibus exstructorum appellatae sunt.    <sup>87</sup> elkanyarodik = abschwenken = obliquier    <sup>88</sup> óriási szobor = Riesenbildsäule = monument colossal    <sup>89</sup> nagyon fontos = von grosser Wichtigkeit sein = être de la plus haute importance    <sup>90</sup> összefoglaló = zusammenfassend = d'ensemble    <sup>91</sup> császárság = Kaisertum = empire    <sup>92</sup> Róma nevéhez fűződő = sich an den Namen Roms knüpfende = se rattachant au nom de Rome    <sup>93</sup> gyűrű = Ring = anneau    <sup>94</sup> összeolvad = verschmelzen = s'entremêler, se réunir

verlag für Unterricht, Wissenschaft und Kunst, Wien. 1936. Pag. 72. Pretrim S 1,10. — Collaborator noster, cuius aenigmata lectoribus nostris haud ignota sunt, in prooemio huius libri vitam et opera oratoris Romanorum excellentissimi, deinde coniurationem Catilinae tractat. Orationibus mors Ciceronis (fragm. Liv. CXX) et adnotaciones criticae adduntur. Invidemus discipulis Austriacis, qui has orationes sine explicationibus in libro adnotatis legere possunt. Liber accurate compositus omnibus placbit.

2. Korunk legnagyobb veszedelme. Irta: Dr. Közi-Horváth József. Az Actio Catholica országos



Via Imperii.

elnökségének kiadása. Budapest, 1936. Pag. 24. — Praesidium publicum Actionis Catholicae in hoc libello omnes, quibus religio et patria curae sunt, docet, ne ab instigatoribus bolsevistis se irretiri sinant. Doctrinae bolsevistarum non nisi eos decipere possunt, qui nondum pericula dictaturae bolsevistarum experti sunt.

3. Phileirenos sive Pax aequalis. Colloquium Erasmicum propter paucitatem anno 1526 ineditum, nunc ad lucem protractum a quadam Latinante. Als Manuscript gedruckt. Aug. Feyel, Oberlingen. 1936. Pag. 24. — Dr. Flesch (latine «Flescarolum» se appellat) medicus latinitatis non solum fautor, sed etiam propugnator haud imperitus (vide Iuv. ann. XX. pag. 102.), libellum Erasmi imitans ipse colloquium scripsisse videtur. Nam quomodo Erasmus haec dicere potuisset? : «Memini praesidis Americani statuum unitorum» (pag. 3.) ; deinde : «Castellum antiquum Toletanum, Alcazar dictum, nuper a turba nefaria e cuniculo subterraneo partim disjectum est in aërem.» Nihilominus colloquium non minus facete quam si Erasmus esset auctor, scriptum esse haud unquam quis negabit.

## Librorum recensio.

1. Sammlung lateinischer Klassiker: *M. Tullius Ciceros Reden gegen Catilina*. Für den Schulgebrauch herausgegeben von Dr. Wilhelm Fieber. III. erweiterte Auflage. Österreichischer Bundes-



**I. Ambitio.** Duo peregrini spectant domum natalem Francisci Toldy, scriptoris mortui, Budae, quae scilicet tabula memoriali<sup>1</sup> decorata est. «Num post mortem ponentne in domo mea quoque tabulam?» — interrogat alter. «Sine



Palatium «Venetia» (pag. 102.).

dubio — respondit alter — ponetur etiam tibi tabula, cuius inscriptio erit: Hic domicilium vacuum locandum<sup>2</sup> est.»

**II. Urbs sumptuosa.** Sitis hominem rusticum in urbe capit. Intrat thermopolium<sup>3</sup> proximum et poculum aquae petit. Bibit aquam et abire vult, sed cellarius<sup>4</sup> inclamat ei: «Pro aquā quattuor nummulos flagito!»

«Sane scire velim, — inquit rusticus, cum solvit nummulos — «quanti sit nubium<sup>5</sup> ruina<sup>6</sup> Budapestini?»

**III. Umbertus in schola.** Umbertus, rex Italiae, circumibat regnum et visitans scholam rusticam interrogavit puerum quendam: «Qui sunt viri excellentes Italiae?»

«Victor Emanuel, Garibaldi, . . .

Praeceptor cuidam puero, qui manum tollit, insurrit aliquid in aures. «Scisne tu quoque aliquem?» — interrogavit rex. — «Rex Um-

bertus quoque vir magnus est.» — «Quid ille magni fecit?» — «Nescio» — respondit puer. — «Mi fili, te consolare, ne ipse quidem scio!» — respondit subridens<sup>7</sup> Umbertus.»

*Angela Nagy,  
discipula Theresiani Budapestiensis.*

<sup>1</sup> emléktábla = Gedenktafel = plaque commémorative  
<sup>2</sup> kiadó = ist zu vermieten = à louer <sup>3</sup> kávéház = Kaffeehaus = café <sup>4</sup> pincér = Kellner = garçon <sup>5</sup> felhőszakadás = Wolkenbruch = pluie diluvienne = <sup>6</sup> súgni = flüstern = souffler <sup>7</sup> mosolyogni = lächeln = sourir

In comitatu<sup>1</sup> Satmáriensi, qui nunc ad Rumaniam pertinet, nuper sollemnia localia habita sunt, quibus etiam ablegatio<sup>2</sup> quaeradum frequens a terra contermina Ruthenica<sup>3</sup> adfuit, cui gubernator Hrabár praeverat. Ablegatio a praefecto Rumanorum lingua Rumanica salutata est et salutanti gubernator Hrabár lingua Ruthenica respondit. Epulantibus<sup>4</sup> idem casus repetitus est. Cum post cenam nonnulla pocula vini potantes hilariter remanerent, gubernator Hrabár, praefecto Rumanorum dixit: «Cui bono est haec comoedia copiosa<sup>5</sup>? Quidquid vos dicatis, id a nobis non intelligi et quid-quid nos respondeamus, id a vobis non intelligi constat. Itaque loquamur lingua et vobis et nobis liquidā<sup>6</sup> Hungaricā.» Quae fabula facetior est quidem, sed non est sine momento politico.

**Lingua exsperanda vetatur in Germania.** Berolino nuntiatur: sodalibus<sup>7</sup> factionis socialistarum nationalium vetatur cooptio<sup>8</sup> in societas linguarum fictarum.<sup>9</sup> Novissime similis interdictio<sup>10</sup> promulgata est magistratibus quoque adiecto commentario :<sup>11</sup> «lingua exsperanda quoque in numero linguarum fictarum est.»

*Helena Boldog disc. Kaposváriensis.*

<sup>1</sup> megye = Verwaltungsbezirk = comitat <sup>2</sup> küldött-ség = Abordnung = délégation <sup>3</sup> Russia Subcarpathica

<sup>4</sup> lakoma közben = beim Festessen = au banquet <sup>5</sup> kö-rülönnyes = umständlich = compliqué <sup>6</sup> folyékony = geläufig = liquide <sup>7</sup> tag = Mitglied = membre <sup>8</sup> belépés = beizutreten = adhésion <sup>9</sup> mesterséges = künstlich = artificiel <sup>10</sup> tilalom = Verbot = défense <sup>11</sup> megjegyzés = Vermerk = observation, commentaire



### Speculum<sup>1</sup> (fabula Sinensis).

Li Tsun ut iret ad mercatum<sup>2</sup> in urbem — 8 dierum iter — se accinxit. Quia magnopere amabat uxorem, venustam Amygdalifloram,<sup>3</sup> interrogavit eam : «Quid tibi ex mercatu apporet, Amygdaliflora?»

— Pecten<sup>4</sup> velim, domine.

— Pecten? Recte! At multas res conficiendas in urbe habeo. Quo modō memorīa teneam, quid optaveris?

— Aspice lunam, domine, quae te commonefaciet,<sup>5</sup> quandoquidem pari formā est pecten, quod concupivi, ac luna.

Li Tsun in urbem advenit. Omnibus negotiis perfectis cum amico thermopolium<sup>6</sup> theiae<sup>6</sup> intravit, ubi in mentem ei venit se uxori aliquid promississe. At rei, quam Amygdaliflora concupiverat, oblitus est. «Quid fuerit? — meditabatur. — Uxor id simili formā ac lunam esse dixit.»

— Luna rotunda est, — respondit amicus (Li Tsun oblitus est pectinis, nam cum domō abisset, luna falcis<sup>7</sup> formam habuit et nunc iam plenilunium<sup>8</sup> erat.). Aliquid rotundum esse oportet, quod uxor tua concupivit. Certe speculum.

— Id vero — laetabatur Li Tsun. Speculum adhuc nunquam habuit. — Coēmpto speculo tranquille domum rediit. Amygdaliflora laetitā exsultans<sup>9</sup> eum accepit : «Apportasti, quod cupivi?»


— Ecce, — respondit Li Tsun et tradidit speculum.

Mulier, quae nunquam adhuc speculum vidi, introspexit et facie femininā in eo conspectā lacrimis obortis<sup>10</sup> graviter lamentabatur: «Maritus ex urbe feminam alienam duxit!» Accurrit ad vehementer singulantem<sup>11</sup> mater Amygdaliflorae, venerabilis Draconidens.<sup>12</sup> «Mater — conquerebatur Amygdaliflora — vide, Li Tsun feminam alienam ex urbe duxit!»

Mater manibus Amygdaliflorae exemit speculum et intropsiciens dixit : «Noli propterea

unquam sollicitudine<sup>13</sup> affici,<sup>13</sup> filia! Haec enim femina aliena turpis est ac senex!»

Franciscus Fazekas disc. Ujpestiensis.



Torquato Tasso (a. 1544—1595) illi poëtae Italico saepe exprobribat<sup>14</sup> pater eius, ille praeclarus iurisperitus, quod philosophiam pluris haberet, quam doctrinam iuris. Denique post exprobriationes multas iurisperitus interrogavit filium suum : «Cur philosophiam, mi fili, maxime utilem putas?»

«Philosophia — inquit Torquatus — docet me exprobriationes, pater, perpeti». Ex quo pater filio suo in doctrinis philosophiae haerere<sup>15</sup> concessit.

Cotis (saeculo II.) rex Thraciae, ingenii vehementioris erat, et irā commotus saepe crudelitatem magnam in servos exercuit. Aliquando rex viginti vasibus vitreis subtilibus<sup>16</sup> donatus est. Postquam Cotis artificem magnō praemio remuneratus est<sup>17</sup>, vasa vitrea statim

<sup>1</sup> tükör = Spiegel = miroir <sup>2</sup> vásár = Markt = foire

<sup>3</sup> Mandulavirág = Mandelblüte = Fleur d'Amande <sup>4</sup> fésű = Kamm = peigne <sup>5</sup> emlékeztetni (arra) = erinnern (daran)

= rappeler qch <sup>6</sup> teaház = Teehaus = maison de thé

<sup>7</sup> sarlö = Sichel = fauille <sup>8</sup> holdtölte = Vollmond = pleine lune <sup>9</sup> ujjongani = aufjauchzen = jubiler <sup>10</sup> köny-

nyekre fakadni = in Tränen ausbrechen = fondre en larmes <sup>11</sup> zokogni = schluchzen = sangloter <sup>12</sup> Sárkány-

fog = Drachenzahn = Dent de Dragon <sup>13</sup> bánkódni = sich grämen = s'affliger <sup>14</sup> szemére vetni = vorwerfen = reprocher <sup>15</sup> megmagadni = beharren = persister <sup>16</sup> finom = fein = extrafin <sup>17</sup> megjutalmazni = belohnen = récompenser

humis stravit, et illa in partes minutis concisa sunt. Rex admiranti praefecto aulae dixit: «Ideo hoc feci, ne in illos mox irā incenderer, qui haec vasa vitrea confringerent.»

*Jul. Vattamány disc. Üszögiensis.*



## A. Petőfi: Mens una turbat me...

Latine reddidit *Vincentius Bors Kaposvariensis.*

*Mens una turbat me tori  
Inter pulvinos emori!  
Sensim perire, ut dente vermium  
Adortus flos furtim rodentium!  
Absumi lente cerei modo,  
Ardens qui stat inani in domo.  
Ne talem des mortem, Deus,  
Ne sit tam tristis mi exitus!  
Sim arbor, per quam fulmen rumpit,  
Vel quam procella radicibus frangit!  
Sim rupes, quae de montibus in profundum  
Tonitru volvitur quassante mundum . . . —  
Cum gentes serviles iugum  
Deiecturae ibunt proelium  
Rubenti ore rubeoque vexillo,  
Vexillis inscripto hoc sancto signo:  
«Mundi libertas!»  
Et hoc clamant,  
Ab ortu clamor ad occasum it,  
Et cum eis tyrannis confligit:  
Collabar ego  
Certandi loco,  
Ibique fluat ex corde mi sanguis,  
Laeta ultima vox mei labri sonantis  
Tum devoretur chalybis crepitum,  
Clangore tubae, torment' strepitum,  
Per me exanimum  
Accelerum  
Equorum agmen ruat gloriā partā,  
Sit pars mea calcata derelicta. —  
Meum legatur dissipatum os,  
Cum advenit sepulturae honos,  
Tardo sonore musicae lugubris  
Et comitati velatis vexillis  
Traduntur heroes sepulcro uni,  
Propter te defuncti, libertas mundi!*

## locosa.

**1. Vir<sup>1</sup> uxorius<sup>1</sup> in officina<sup>2</sup> medicamento-  
rum.<sup>2</sup> Homo bonus medicinam emit uxori.  
«Ante usum fortiter excutienda<sup>3</sup> est» — docet  
eum medicamentarius. — «Gratias» — respon-  
det ille, — «sed nescio, sinatne uxor se ex-  
cutere?»**

**2. Domina provincialis.** «Dico tibi, semel et  
in perpetuum me hoc cubiculum nullo modo  
conducturam<sup>4</sup> esse<sup>4</sup> — affirmat mulier puer  
deversorii,<sup>5</sup> qui eam ex portiu ad contignatio-  
nem<sup>6</sup> secundam ducere vult. — «Non eicio  
nummos meos bonos per fenestram, cum hoc  
gallinarium<sup>7</sup> parvum tantum unum lectum bre-  
vem castrensem habeat! Si fortasse putas me  
rure venientem . . .» — Puer non minus blande  
quam Laconice respondet: — «Intra, domina,  
hoc non est cubiculum tuum, sed tantum ele-  
vator.»<sup>8</sup>

*Francisca Sole disc. Kaposváriensis.*

<sup>1</sup> papucshős = Pantoffelheld = pantouflard    <sup>2</sup> gyógy-  
szertár = Apotheke = pharmacie    <sup>3</sup> megrázni = schüt-  
teln = secouer    <sup>4</sup> kivenni (bérbe) = nehmen (mieten) =  
louer    <sup>5</sup> szállodai boj = Hotelboy = chasseur d'hôtel    <sup>6</sup> emelet  
= Stock = étage    <sup>7</sup> tyúkól = Hühnerstuhl = poulailler  
<sup>8</sup> lift = Fahrstuhl = ascenseur

**3. Artifices inter se.** Alter (ad alterum): «Tu  
sex digitos manibus angelorum pinxisti. Num  
vidisti unquam angelum sex digitos habentem?»  
— Alter: «Fortasse tu vidisti angelum quin-  
que digitos habentem?»

**4. Apud medicum dentes curantem.** Patiens:  
«Erunt-ne hi dentes manu facti adeo boni,  
quam proprii?» — Medicus: «Sine dubio! —  
Dolebunt quoque.» *Andreas Uskert disc. Tatanus.*

**5. Ubi sunt pruna?<sup>1</sup>** Domina: Pro libra<sup>2</sup>  
prunorum, quae filius meus a te emerat, post-  
quam domi trutina<sup>3</sup> examinavi, semilibra in-  
venta est.

Pomarius: Agedum confer te domum, do-  
mina amplissima, et filii tui quoque pondus<sup>4</sup>  
exigito.<sup>4</sup>

<sup>1</sup> szilva = Pflaumen = prune    <sup>2</sup> font = Pfund = livre  
<sup>3</sup> mérleg = Wage = balance    <sup>4</sup> mérje meg = wägen Sie  
ab = pesez

6. **Fraudator<sup>5</sup> satisdati.<sup>5</sup>** Iudex : Qui<sup>6</sup> potuisti animum<sup>7</sup> inducere,<sup>7</sup> ut per<sup>8</sup> fidem<sup>8</sup> eos falleres,<sup>8</sup> qui spem suam et fiduciam in te posuissent?

Fraudator : Aliter facere nequibam, quando qui fidem mihi non habebant, eis ut imponebam,<sup>9</sup> neutiquam fieri poterat.

7. **In iudicio.** Iudex : Quid hoc rei esse dicam?<sup>10</sup> Tune hic iam iterum ades? Nonne tibi dixeram, cum proxime condemnatus essem, me nolle amplius in conspectum<sup>11</sup> meum venias?

Grassator :<sup>12</sup> Memoriter<sup>13</sup> memini<sup>13</sup> dixique hoc custodi<sup>14</sup> publicae<sup>14</sup> securitatis,<sup>14</sup> verum enim nullus<sup>15</sup> potuit adduci, fidem ut mihi haberet.

*Carolus Acs Budapestinensis.*

<sup>5</sup> óvadéksikkasztó = Kauzionsschwindler = escroc au caoutnement <sup>6</sup> hogyan = wie = comment <sup>7</sup> elkére venni = es über sich gewinnen = prendre sur l'âme <sup>8</sup> bizaralmukkal visszaélni = ihr Vertrauen missbrauchen = abuser de leur confiance <sup>9</sup> rászedni = beschwindeln = du-per <sup>10</sup> Mi ez? = Was soll des heissen? = Qu'y a-t-il? <sup>11</sup> Ne kerülj a szemem elé = du sollst dich hier nicht zeigen = que je ne te vois plus <sup>12</sup> csavargó = Landstreicher = vagabond, sans aveu <sup>13</sup> jól tudom = ich weiss es nur zu gut = je ne sais que trop <sup>14</sup> csendőr = Gendarm = gendarme <sup>15</sup> semmikép sem = durchaus nicht = nullement

## Tribunus militum<sup>1</sup> Mascardus.

Est miles Hispaniensis. Cum communistae templis monasterisque exustis, sacerdotibus, monachis monachabusque<sup>2</sup> enecatis optimum quemque trucidare parabant et nihil remanebat in Hispania, nisi honeste in armis mori, tum tribunus militum Mascardus se in arcem recepit Alcasar, quae domus munita<sup>3</sup> potius quam arx nominari potest, obstinatus<sup>4</sup> magis mori, quam se dedere. Per novem hebdomades<sup>5</sup> admirabiles defendit aedificium cum alumnis<sup>6</sup> scholae militaris. Innumerabiles pyroboli,<sup>7</sup> gasum venenatum,<sup>8</sup> fames et desperatio sine ulla spe liberationis in dies certiores fecere illum adesse finem, occumbendum esse morti. Et ille potius occumbere statuit morti, quam ditione aliquid morae adipisci, potius aeter-

nam gloriae famam, quam vitam, in manibus bolsevistarum omni modo dubiam futuram.


— Certo scimus, nobis omnibus moriendum esse, — respondit legatis ad cum de ditione missis, — nobis autem cum armis in manibus mori in animo est.

Miles huius generis erat tribunus militum Mascardus. Maxime autem admirandum tum se<sup>9</sup> praebuit,<sup>9</sup> cum ultima verba faceret cum filio suo. Accidit nempe hebdomade secundā obsidionis, cum Mascardus excubias<sup>10</sup> castelli ordinaret, ut dux communistarum telephonice locuturus cum Mascardo, tintinnabulo<sup>11</sup> telephoni eum vocaret. Legatus a latere<sup>12</sup> tribuni arripuit concham<sup>13</sup> auditoriam:<sup>13</sup> «Hic summus praefectus urbis loquitur — audita est vox praefecti communistarum — quaero, ad telefonum tribunum m. Mascardum mittatis.»

Mascardus accipiens concham ab adjuncto : «Hic Mascardus. Quid vis?»

— Non solum volo, sed iubeo castellum Alcasar mihi intra duas horas tradi, armaque deponi. Quae si repudiaveris, duabus horis post


<sup>1</sup> ezredes = Oberst = colonel <sup>2</sup> apáca = Nonne = religieuse <sup>3</sup> erődített = befestigt = fortifié <sup>4</sup> eltökéltve = entschlossen = décidé à <sup>5</sup> hét = Woche = semaine <sup>6</sup> növendék = Zögling = élève <sup>7</sup> bomba = Bombe = bombe, explosif <sup>8</sup> mérges gáz = Giftgas = gaz toxique <sup>9</sup> mutatkozni = sich erweisen = se montrer <sup>10</sup> őrség = Wacht-posten = garde <sup>11</sup> csengő = Klingel = sonnerie <sup>12</sup> szárnysegéd = Flügeladjutant = officier d'ordonnance <sup>13</sup> kagyló = Hörnuschel = récepteur



Alcasar ante bellum civile.

de filio tuo supplicium<sup>14</sup> sumi<sup>14</sup> scito ! Ne autem me vane minari credideris, en trado concham filio tuo. Vestrum est deliberare, quid faciendum putetis...

Mascardus pallidus nihil respondens stabat et minuto insequenti iam audiebat vocem tam



bene notam et caram filii : «Pater ! Pater dulcissime ! Ego sum, proh<sup>15</sup> vērē ego sum, captivus. Et de me captivo supplicium sumetur -- nisi Alcasar tradideris. Quid me facere iubes?»

Et pater oculos lacrimis offusos, quasi frontem tergeret, extergens, in pariete crucem, in quo unigenitus filius Patris aeterni, etsi liberari potuisset, sciente et concedente Patre mortuus est, conspicit et : «Fili, — respondit ei voce clarā et certā, — in nomine Dei, Patris veri, impero tibi, ut in suppicio de te sumendo exclames : Vivat Hispania ! Vivat Christus rex !»

— Vivat Hispania ! — audavit pater in telephono et nihil ultra. Silentium. Filius abstrahebatur. Et iterum praefectus urbis : «Duas horas habes ad liberandum vel ad necandum filium. Si Alcasar tradideris et filium habebis et salvum<sup>16</sup> conductum.<sup>16</sup> Quid moraris? Quid dubitas? Intra duas ho...»

Mascardus depositus concham. Astabat omnibus exspectantibus, quid accidisset. «O socii, — dixit, — annuntio vobis filium pro patria et pro Deo moriturum esse. Fiat, quod

Deus fieri vult. Vivat Hispania ! Vivat Christus rex !»

— Vivat Hispania ! Vivat Christus rex ! — acclamaverunt omnes.

Et consumpto tempore duarum horarum, quibus de vita et morte decernere datum est, circum Alcasar conticuerunt<sup>17</sup> arma communistarum. Silentium grave et minax regnabat ubique. Et in hoc silentio e castris<sup>18</sup> Alcasari proximis tonitrus<sup>19</sup> sclopotorum<sup>19</sup> auditus est. Pater et omnes se signo crucis signabant, orabantque pro eo, qui vitam effudit pro patria et pro rege Christo. Orabant pro filio tribuni militum Mascardi.

Hoc factum est hebdomade secundā. Et adhuc septem per hebdomades resistebant, quando iam non nisi de morte pulchrā pugnatum est et mors exspectata morabatur. Iam non medicinas, neque cibaria, nec vestes habebant ii, contra quos hostis furiosus impetum die noctuque faciebat ; iam maxima pars castelli corrutā<sup>20</sup> erat. Deo autem iuvante Alcasar modo mirabili liberatum est et defensores victores facti sunt.

Ios. Guelmino Budapestinensis.

<sup>14</sup> kivégezni = hinrichten = supplicier    <sup>15</sup> fájdalom = leider = hélas    <sup>16</sup> szabad elvonulás = freies Geleit = les honneurs de la guerre, le chemin libre    <sup>17</sup> elhallgatni = verstummen = se taire    <sup>18</sup> kaszárnya = Kaserne = caserne    <sup>19</sup> puskaropogás = Gewehrgeknafter = crépitement d'une fusillade    <sup>20</sup> összeomlani = zusammenstürzen = s'écrouler, tomber en ruines

## Quas utilitates cellula photo-electrica praebeat.

Cellula photoelectrica invenitur in cinematibus<sup>1</sup> sonoris,<sup>1</sup> in televisione<sup>2</sup> per filum<sup>2</sup> vel sine filo,<sup>2</sup> in tabernis aerariisque securitatis causa, in officinis<sup>3</sup> textrinis<sup>3</sup> ad colores examinandos ; cellulis metimur intensitatem lucis solis lampadumque ; cellula dirigit illuminationem<sup>4</sup> publicam<sup>4</sup> oppidorum. In cinematibus sonoris musica et vox actorum microphonio in electricitatem convertitur, quae in lampade in lumen transformatur. Lumen in taenia pelli-

<sup>1</sup> hangosfilm = Tonfilm = film sonore    <sup>2</sup> képtávirat = távolsági képátvitel = Bildertelegraphie oder Fernsehen = transmission des images à distance ou télévision

<sup>3</sup> szövögyár = Textilfabrik = maison de tissage    <sup>4</sup> közvilágítás = Straßenbeleuchtung = éclairage publique

culari<sup>5</sup> iuxta imaginem ludi scenici photographice retinetur. Ita habemus imaginem vocis et humanae et musicae, cuius forma et perspicuitas<sup>6</sup> intensitati, gravitati<sup>7</sup> vel acuminis<sup>8</sup> illarum congruens est.<sup>9</sup> Per hanc imaginem in theatro lumen transmittitur, cuius in via cellula photoelectrica ponitur. Huius vis electrica crescit aut decrescit sic, ut pelliculae perspicuitas mutatur. Electricitas amplificata atque in megaphonium<sup>10</sup> ducta vocem pristinam reddit spectatoribus.

Principium televisionis idem est. Lux ab imagine transmittenda<sup>11</sup> repercutta in cellula electricitatem movet, quae per filum vel sine filo transmissa in receptoris lampade iterum lumen fit. Summa lumen singularum particularum imaginis dat totam imaginem.

Tabernas, aeraria (vulgo : cassas) nocte radii humanis oculis invisibles collustrant. In via radiorum cellulae positae sunt, in quibus radii electricitatem constantis intensitatis mouent. Si fur quidam radium interrupit, luce extincta electricitas cellulae desinit, quā mutatione actum tintinnabulum signa periculat. In officinis textrinis color sic examinatur : si color fili non est aequabilis<sup>12</sup>, electricitas cellulae mutatur et motus machinae retinetur. Ad intensitatem lucis metiendam galvanometrum in circulo<sup>13</sup> electrico<sup>13</sup> cellulae positum adhibetur. Huius modi instrumento utuntur photographi computantes<sup>14</sup> tempus expositionis.<sup>15</sup>

Oppidorum illuminatio publica cellulā photoelectricā automaticē efficitur. In via cellula posita est, cuius in circulo electrico est immissor<sup>16</sup> illuminationis. Vesperascente caelo intensitas electricitatis cellulae pariter ac lux solis diminuitur, quae mutatio electricitatis relaxatore<sup>17</sup> calato<sup>18</sup> immissorem claudens efficit, ut lampadibus viae illuminentur. Sole orienti electricitas cellulae aucta aperit immissorem et exstinguit lampadas.

Cellula photoelectrica recte dicitur «oculus electricus». Res cunctas, quas nostri oculi haud possunt cernere, cellula certe videt. Adiuvat nos in certamine secretorum naturae invenientorum, humanaeque vitae exonerandae.<sup>19</sup>


*Livius Botár* disc. gymn. Keszthelyensis.

<sup>5</sup> filmszalag = Filmstreifen = bande pelliculaire <sup>6</sup> átlát-szóság = Durchsichtigkeit = transparence <sup>7</sup> mélység = Tiefe = profondeur <sup>8</sup> magasság = Höhe = hauteur <sup>9</sup> arányos = verhältnismässig = proportionnel <sup>10</sup> hangszóró = Megaphon = diffuseur <sup>11</sup> továbbítani = über-senden = transmettre <sup>12</sup> egyenletes = gleichmässig = uniforme <sup>13</sup> áramkör = Stromkreis = circuit <sup>14</sup> kiszámítani = berechnen = évaluer, calculer <sup>15</sup> exponálás = Be-lichtung = pose <sup>16</sup> kapcsoló = Schalter = contracteur <sup>17</sup> vulgo : relais <sup>18</sup> közbeiktatni = einschalten = intercaler <sup>19</sup> megkönyebbíteni = erleichtern = faciliter



Nuper Petrus Cot minister rei aeronauticae Gallorum cum gerendario<sup>1</sup> a secretis<sup>1</sup> publicis<sup>1</sup> Lagrange, dum in Valle Isarae morabatur, ut exercitationes gymnicas hiemales spectaret, nivibus<sup>2</sup> devolutis<sup>2</sup> adeo inclusus est, quem tantum biduo post milites die noctuque iter aperi-re molientes vix liberare possent. Natura ne ministris quidem parcit!

Lindbergius tribunus<sup>3</sup> militum,<sup>3</sup> clarissimus ille aeronauta, qui primus superavit mare Atlanticum, filio a latronibus (vulgo : gangste-



1. Cinema sonorum : receptio, 2. taenia (A = imago ludi scenici, B = imago vocis, C = perforatio), 3. Emissio. 4. Usus cellulae in aerariis (A = arcae, B = lampades, C = cellulae, R = radii).

ribus) rapto interfectoque Americam perosus<sup>4</sup> clam in Europam migravit, et novis viis aëris exirendis operam<sup>5</sup> dat.<sup>5</sup> In imagine nostra inter pyramides Aegyptias cum uxore in Persiam volans cernitur.

<sup>1</sup> államtitkár = Staatssekretär = secrétaire d'État <sup>2</sup> lavina = Lavine = avalanche <sup>3</sup> ezredes = Oberst = colonel <sup>4</sup> meggylőlőve = hasserfüllt = rempli de haine

<sup>5</sup> foglalkozni = sich beschäftigen = s'occuper

## Hypatia.

(24.)

Scripsit C. Kingsley. Hungarice reddidit A. Zigány. Excerptis atque in Latinum convertit: Valentinus Fehér (Strigonii).

## VIII. Mors Hypatiae.

Postero die mane circiter decimā horā, cum Hypatia experrecta esset, serva nuntiavit Synesium per nuntium misisse litteras. «Ubi sunt litterae?» — quaerit Hypatiae gaudens.

— Qui eas tulit, ipse coram tradere vult — respondet serva — et dixit, ut admonerem te alicuius nigri achatae.



Lindbergius in Aegypto (pag. 109.).

— Ah! — clamat Hypatia expallescens. Tum foribus apertis Theo ingressus est cum Raphaele; dein annuit puellae, quae una cum eo exiit. — «Romanam me — ait Raphael — putavi hic Augustam inventurum, sed spes falsum<sup>1</sup> me habuit<sup>1</sup>: tu etiam nunc es sacerdos Vestae. Salve, pulcherrima Hypatia; Synesius per me tibi salutem dicit.»

Haec fatus litteras Hypatiae tradidit. Sed illa necopinato<sup>2</sup> reditu Raphaelis adeo obstupfacta erat, ut litteras accipere paene obliuisceretur. Tandem quaesivit: — «Convenistine iam Mariam?»

— Non: una hora est, cum perveni et ante omnia te convenire volebam. Sed priusquam, cur venerim, edicam, sine me aliquid ex te quaerere! Quid dicas, si ego dixer id, quod moriens Iulianus: «Vicisti, Galilaei!?

— Iulianus nunquam haec dixit.

— At ego dico; ac verum dico.

— Ah, Raphael — inquit Hypatia acerbā voce, — cur tu quoque me destituis? Disiectis<sup>3</sup> meis omnibus consiliis et insomniis<sup>4</sup> asto sola desperata, velut arbor despoliata fructibus.

— Hypatia! — clamat Raphael voce flebili, — non veni, ut te relinquem, sed ut liberarem.

— Optime — gemit Hypatia. — Veni huc cras. Si iste Galilaeus tam validus ac potens est, ut viros omnes subigat,<sup>5</sup> quomodo ego ei resistere possum, quae sim mulier infirma? Veni ergo, sed hodie: tertīā horā, nam sentio me haesitatione ac dubitatione confici.<sup>6</sup> Meridie ultimum recitabo. Valere<sup>7</sup> iubebo<sup>7</sup> discipulos. Dein sequatur redditus in novam vitam, aut, si id fieri non potuerit, in noctem aeternam.

\*

Cum Raphael in viam descendisset, ex Musei columnis Philammo prosiliens brachium Iudaei arripuit. — «Ah, tu es? — ait Raphael. — Age, quid me vis?»

— Serva eam, obsecro, serva Hypatiam! Dic ei, ut caveat; veta eam domo egredi, quod ei periculum imminent coniurationis. Scio sacerdotes et vulgus aliquid in eam meditari.<sup>8</sup> Hodie mane, cum in cubiculo Arsenii iacearem, audivi eum supplicare Petro Lectori, ne ullam faceret violentiam,<sup>9</sup> sed Petrus Lector verbis eius neglectis in alam<sup>10</sup> egressus monachis imperavit, ut rem cito beneque perficerent.

Raphael recurrit in domum et interrogavit, essetne sibi aditus<sup>11</sup> ad Hypatiam. — «Non est. — respondet, — In adytum<sup>12</sup> inclusa deae Veneri sacrificat. Et Theo modo<sup>13</sup> abiit, nemo scit, quo.»

Raphael dentibus frendens egressus est. Sciebat semihoram superesse ad recitationem; uno modo Hypatiam servari posse, si Orestes

<sup>1</sup> csalódní reményében = jmdes Hoffnung täuschen = être trompé dans son attente <sup>2</sup> váratlan = unverhofft = inattendu <sup>3</sup> szétfoszlani = zerrinnen = se dissiper <sup>4</sup> álom, ábránd = Traum (bild) = rêve, illusion <sup>5</sup> igába hajtani = unterjochen = soumettre à son joug <sup>6</sup> elemészt (ami: abl.) = vergehen (vor...) = se consumer <sup>7</sup> elbúcsúzni = sich verabschieden = faire ses adieux <sup>8</sup> forralni = etw. im Schilde führen = méditer qch <sup>9</sup> erőszak = Gewalt (tätigkeit) = violence <sup>10</sup> folyósó = Korridor = corridor <sup>11</sup> fogadja-e őt = ob H. ihn empfängt = si H. le recevra <sup>12</sup> szentély = Sanktuarium = sanctuaire <sup>13</sup> imént = soeben = tout à l'heure

missis militibus domum eius custodiri iuberet. — «Mane hic — praecipit Philammoni ; — et si in plateam exierit, mone eam ; cape frena equorum neve sinas eam longius vehi !» Raphael currit ad domum praefecti, qui tamen vitae suae metuens domui se incluserat neque res curabat.

Philammo remanens in loco, quo a Raphaele constitutus erat, incitato animo promissum auxilium exspectabat. Adversus portam, ubi Hypatiam in Museum ingredi oportebat, via angusta erat, in qua numerus hominum usque<sup>14</sup> crescebat. Paulatim magna turba confluxerat. In fine viae principalis sexcenti homines stabant. Philammo anxius animadvertisit omnes eo oculos convertere, unde Hypatiam venire oporteret. Quid, si ei insidiarentur? Neque Iudaeum venire cum auxilio ! Tum repente currus Hypatiae praetervehebatur. Philammo prosiliens arreptis equorum frenis currum sustinuit.<sup>15</sup> — «Ne eas longius ! — supplicat Hypatiae, — in interitum ruis !»

(Ad numerum proximum.)

<sup>14</sup> folyton = fortwährend = continuellement    <sup>15</sup> meg-állítani = aufhalten = arrêter



Censor aerigmatum : Otto Schmied Vindobonensis.

### Solutiones aerigmatum numeri V.

- Breve iter per exempla, longum iter per praeculta. — 2. aper.
- Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? (Cic. in Catil. or. I 1, 1)
- n, ne, nec, neco.
- Vae, vae, care, pater, numquam tibi carmina dicam.
- rei, eget, rete, item.

**Aenigmata recte dissolverunt:** Anna Mayer (*Ur-sulanum*), Paulus Kristek (*Széchenyanum*), Anna et Susanna Büchler, Stephanus Vermes (*Veresianum*), Ladislaus Hegedüs, Ludovicus Szöllösy, Franciscus Maróthi, Georgius Lénárd, Ladislaus Grosz, Ladislaus Keleti (gymn. IPEA = Instituto professoribus erudiendis adiunctum), Maria Ioannovits, Susanna Seidl, Gisela Wilhelmy, Magdalena Tasner, Juditha Rónay, Juditha Szabóky,

Eva Davida, Ágnes Szakonyi (*Sophianum*), Ioannes Wolkóber (*Madáchianum*), Olga Kunczer, Elisabetha Toporczy (*Veresianum*), Andreas Klein (*Fayanum*) *Budapestinenses*. — Stephanus Okolicsányi *Agriensis*, Ladislaus Bubnó, Theodorus Hossza, Tihamerus Komjáthy *Miskolcienses*, Gabriel László, Iosephus Kaptay, Alexander Berényi, Andreas Uskert *Tatani*, Aureola Csathó *Nagy-körösiensis*, Eva Dobó, Irma Jánbor, Margaretha Steiner, Elisabetha Buda *Iaurinenses*, Adalbertus Próbáld *Aegopolitanus*. — Guilelmus Fieber dr. *Vindobonensis*.

Praemium sorte Annae Mayer, Aureolae Csathó, Francisco Maróthi et Paulo Kristek obvenit.

### 1. Crucigrama.

1	2	3	4	5	6	7	8
				9	10		
12	13				15	16	17
18			14	19	20		21
					22	24	25
26	27			28		29	
				30	31		
32		33		34	35	36	37
				38	39	40	
41	42		43	44	45	46	47
					49	50	51
				52	53	54	
55					56		

ad libram :

<sup>1</sup>summus orator Róm. ; <sup>5</sup>= Dido ; <sup>9</sup>duae vocales ; <sup>10</sup>numerus ; <sup>11</sup>coni. mod. ; <sup>12</sup>rex Thracum ; <sup>15</sup>= ursa parva ; <sup>18</sup>= ire velis ; <sup>19</sup>vis machinas movens ; <sup>21</sup>adv. temp. ; <sup>22</sup>= simul ; <sup>24</sup>= curre ! <sup>26</sup>= ieci ; <sup>28</sup>pars vehiculi ; <sup>30</sup>animal domesticum ; <sup>31</sup>praep. ; <sup>32</sup>pars cruris ; <sup>35</sup>dux Argonautarum ; <sup>38</sup>= at ; <sup>40</sup>tres litterae vicinae ; <sup>41</sup>genius domesticus ; <sup>43</sup>patria Catonis minoris ; <sup>46</sup>= cibo affice ! <sup>48</sup>oppidum Thessaliae ; <sup>50</sup>= diligitur ; <sup>52</sup>praep. ; <sup>53</sup>= causa (criminalis) ; <sup>54</sup>interiectio ; <sup>55</sup>= siti affici ; <sup>56</sup>= spelunca.

### ad perpendiculum :

<sup>1</sup>= e cera fictum ; <sup>2</sup>= ictus ; <sup>3</sup>= Aurora ; <sup>4</sup>mons Thessaliae ; <sup>5</sup>contrarium : induo ; <sup>6</sup>fundamentum rei publicae ; <sup>7</sup>= studiosus sum ; <sup>8</sup>avis canora ; <sup>13</sup>interiectio ; <sup>14</sup>fructus vitis ; <sup>16</sup>ter eadem consonans ; <sup>17</sup>nota numeri ; <sup>20</sup>= idem ; <sup>23</sup>amicus Euryali ; <sup>25</sup>= Romae (gen.) ; <sup>27</sup>= iter facere ; <sup>29</sup>odorem pariens ; <sup>32</sup>avis domestica ; <sup>33</sup>quid avia libenter agit? <sup>34</sup>= discede ! <sup>36</sup>= agricola ; <sup>37</sup>« . . . . . » et oleum perdidit ; <sup>39</sup>= <sup>29</sup>; <sup>40</sup>adv. mod. ; <sup>42</sup>bis eadem vocalis ; <sup>44</sup>= eius modi ; <sup>45</sup>domus parva ; <sup>47</sup>nota numeri ; <sup>49</sup>adv. loc. ; <sup>51</sup>= inquit.

E consilio Eugenii Keller Rákospalotani.

2. A. E. I. O. U.\*

aquilo	erit
eurus	erit
... ter	erit
zephyrus	



Barnabas Zsigmond  
disc. VI. cl. Szeghalomensis.

3. Logographus.

Circa villam «h» delectat latus;  
Post procellam «p» est nautae gratus,  
Qui iam «t» est maris ventis saevi;  
Hoc aenigma solvite nunc brevi!

Guilelmus Fieber Vindobonensis.

4. Dissolvendum ad saltum equulei.\*

	n	c				
	n	g				
c	h	s	i	r	n	
c	i	e	o	i	x	
	o	u				
	v	s				

primum quattuor litterae directae, tum sedecim obliquae connectendae sunt.

Editha Bátori disc. Theres. Bp.

5. Ex syllabis.

a, a, ae, bi, glo, gnum, ho, in, le, me, mus, ni, no,  
re, ri, rus, stas, stis, stus, u.

His viginti syllabis  
Voces composueris,  
Fiant ut vocabula  
Ista ex sententia :


- I. Quis arcetur nostrā patriā?
- II. Quae pars tui portat onera?
- III. Non ignotum sic vocatur.
- IV. Quid victoriā paratur?
- V. Pars est anni calida.
- VI. Dic, quid sit Hungaria!
- VII. Iudex ne sit nisi talis!
- VIII. Proprius non animalis.  
Terram nominant initia  
Iunctam foedere cum Austria.

O. S.

\* Ex hoc tempore stellula apposita indicatur aenigma a censore aenigmatico mutatum vel in versus redactum esse. Nam aenigma ut non solum recte, sed etiam aliqua cum arte sit compositum, suprema esto lex!

Terminus solutionum ad moderatorem mittendarum  
Idus Apriles.

Solutiones aenigmatum sumptibus comparcendi  
causa singulis in scholis a magistro collectae in  
eodem involucro epistulae ad moderatorem mitti  
possunt.



Corrigenda numeri 5—6. (Jan.—Febr.): pag. 68 : pro «paruit» lege : peperit ; pag. 74 : pro : «re-dienti» lege : redeunti ; pag. 78 : pro : «docupletavit» leg locupletarunt ; pag. 87 : pro : «ex scriba-rum» lege : ex scribis; — «Ca d'oro et casa aurea» (pag. 89.) ita corrigenda sunt: Ca d'Oro, casa familiae Oro. — *Guil. Fieber et Aur. Csathó.* Nolite mihi irasci, quod nomina vestra in numero aenigmata solventium non invenistis. «Quandoque bonus dormitat Homerus.» Ego autem simplex praeco sum latinitatis, non princeps poëtarum. — *Fr. Fazekas.* Alias maiores formas litterarum spatiis inter lineas relictis scribe, ubi mendas corrigerē possim. Nunc totam fabulam litteris quae legi possent maioribus pure iterum descripsi. Impressor enim latinae linguae imperitus quae tu scripseras, haud legere potuisset. — Sunt, qui in eodem folio papyri solutiones aenigmatum, aenigma nova, iocosa etc. scribant laboremoderatoris tardantes. Cum aenigmata ad censorem aenigmatum, iocosa ad alium collaboratorem mittantur, solutiones autem apud moderatorem maneat, singula genera opusculorum separatim singularis in chartis scribenda sunt. — Nonnulli litteras tesseris postalibus minoris pretii id est haud sufficienter francatas ad moderatorem mittunt, qui tales litteras accipiens nonnunquam altero tanto pretio multatus 40—50 nummulos solvit. Quare missores epistolarum rogamus, ut antequam epistolam in receptaculo litterarum deponant, interrogent in officio tabellario seu postali, quid pro vectura solvendum sit. — Anthologia carminum, quae *In Veste Latina* inscribitur, a collaboratore nostro Ottone Schmied iam sub prelum missa mox prodibit.

Sociis et lectoribus ferias Paschales felices fortunatas!

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)